



Antiquae Lectionis Tomus ...

Bipartitus, In Quo L. Vetera Monumenta, Nunquam Visa, Pauculis Exceptis -
Quorum Catalogum versa pagina indicat

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1604

12. Fausti Rhegiensis admonitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64177)



Admonitio


SANCTI FAUSTI.

Nunc primum ex m. s. S. Galli edita.

Ad Lectorem.

IN membranis m. s. S. Galli, in quibus S. Gregorii M. dialogi sunt, sub finem est admonitio S. Fausti hoc titulo: Incipit Admonitio sancti Flausti. Vbi sine dubio legendum est, Fausti. Nam m. s. codex vitiosissimus est, & ferè ubiq; ita nomina propria deprauat. Et licet secundo, in fine nempe vltima pagelle, iterum Flaustum appellet; tamen non dubito asserere, per spectro more scribendi illius exscriptoris, mendum esse, & legendum Faustum. Quam autem sit Fausti Rhegiensis, an alterius, hic nihil affirmo. Sed tamen nolui committere, vt non publicarem.

INCI-



INCIPIIT ADMONITIO

sancti Faustii.

MODO, Fratres karissimi, cum diuina lectio legeretur, audiuius beatum Apostolum terribiliter nos & salubriter admonentem. Sic enim ait: Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Quare etiam Dominus in Euangelio, denunciat, dicens: Filius hominis venturus est in gloria sua, cum angelis suis, & tunc reddet vnique secundum opera sua. Diligenter, quaso, attendite, Fratres karissimi, & mecum pariter expauescite; quia non dicit, quod reddet vnique secundum misericordiam suam, sed, secundum opera sua. Hic enim est misericors, sibi iustus, Nam quod statim non in peccatores * vin patien-
 tia est, non negligentia. Non ille potentia perdit; sed nos ad poeniten-
 tiam referuauit. Vnde minus timendum est, ne quanto diutius expe-
 ctat, vt cessemus, tanto grauius damnet, si emedare noluerimus. Cum
 haec ita sint, scire & intelligere debemus, Fratres, nihil nobis esse salu-
 brius, quam vt damnatis omnium praesentium rerum voluptatibus, id
 potius cogitemus, quando erimus de hoc seculo transaturi, vel quan-
 do tabernaculum. nostri corporis, vltimo die superueniente, depofi-
 turi, & iterum illud Resurrectionis tempore recepturi, vt cum eodem
 recipiamus, prout gessimus, siue bonum, siue malum. Et ideo rogo
 vos, fratres, vt cogitemus, quales erimus in die iudicii purissimis ange-
 lorum conspectibus offerendi, & aeterno iudici rationem de libris co-
 scientiae reddituri. Remotis enim omnibus probationibus, certum
 est in diem illum ipsum ante se hominem constituendum, & ipsam se-
 bibi animam in cordis speculo demonstrandam. & testes contra eam no-
 aliunde deforis, sed intus de ipsa proferentur. adicienda erunt non a-
 liqua peregrina, sed nimium nota testimonia, id est, opera sua. ordina-
 buntur ante infelicem animam peccata vel crimina sua, vt eam con-
 fundat probatio, & confundat agnitio, secundum illud quod scriptum
 est: Arguam te, & statuam illam ante faciem tuam. Quicumque se mo-
 do

2. Cor. 5.10

Mat. 16. 27

* s. vind. Ha descen- dis. vel. vindicat. vel ali- quid simi- le.

1. Sal. 49. 22

Ggg 3 do

Handwritten notes in the right margin, including '17' and other illegible characters.

dò, dùm licet, emendare neglexerit, ante illum celestem populum primum excepturus est de confusione supplicium, & anima, quæ modo per pœnitentiam, compendiosam transactionem, peccatorum putredines curare dissimulat, ante illud tribunal metuendum, sine ullo remedio in perpetuo vulnerata remanebit. O si iam nunc faciem peccatoris animæ liceret oculis cordis aut corporis intueri, & conscientie nostræ vultum in oculorum præsentiam permitteremus adducere. Quod si liceret, nec dici potest, quanto studio, quantoque metu virgeremus fœdata componere, maculata tergere, vulnerata curare. Ideò quia non possumus oculis corporis inspicimus, in quantum possumus, oculis cordis, & vnusquisque conscientias nostras ante conspectum interioris hominis constituamus. ipsi nosmetipsos castigemus, ipsi nos curationem de quotidiana conuersatione faciamus. Alloquatur se in secretis vnaquæque anima, & dicat; Videamus si hanc diem sine peccato, sine inuidia, sine obreftatione, sine murmuratione transegi. Videamus si hodie, quod ad perfectum animæ pertinet, operatus sum. puto quod hodie mentitus sum, periram, vel concupiscentiam victus sum; nec alicui benefeci; nec per timorem æternæ mortis ingemui. Quis mihi reddat hanc diem, quam in anibus rebus perdi, quam cogitationibus noxiis pessimisquæ consumpsi? Ac si, Fratres, de omnibus negligentis nostris conpungemur in cubilibus; id est, in cordibus nostris, ipsi nos condemnemus, ipsi nos accusemus Iudici nostro quotidie, & dum in hac carne sumus contra ipsam carnem quotidie dicamus, vincamus voluntates & intentiones nostras, dum nobis tempus illud expectatissimum ac beatissimum felice mutatione æternæ vitæ succedit. Quando illud, quod Dominus dixit: Et erunt similes angelis. Et iterum: Tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum. Putas, qualis tunc erit splendor animarum, quando solis claritatem habebit lux corporum? Tunc enim cum ad istam beatitudinem venerimus, nulla erit tristitia, nullus timor, nulla infirmitas, nulla mors. nullus nobis obstat ad seruiendum Deo nostro; nulla iam nobis stat infirmitas; nulla contradicet miseræ carnis aduersitas, nulla vel vltius remanebit pugnandi necessitas. Veniet, inquam, tempus, quando nullus desideretur cibus, omnisque refectio, nulla sentiatuŕ iciunii lassitudo, nulla timeatur vel de carne inquietudo, vel de hoste tentatio; sed aduersario in inferni profunda detruso perfruemur hac primum felicitate, **ut incipiamus nec velle vltra peccare, nec posse; cessante omni iniquitate.**

Luc. 10, 7.

Mat. 13, 43.

tate, omni miseria, omni maerore; totum innocentia, totum felicitate possidebit. Nullam inferior miseriam, nullam felicior timebit invidiam. quia exinanita & penitus extincta transiit. In pectoribus hominum caritas angelorum, quibus admixti homines iam * cœlesti recepta carne, sine carnis infirmitate fulgebunt. Et ideo nullum vltterius patientur de sempiterna Domini sui virtute fastidium, nullum sub perenni laudum suarum exultatione defectum. Habemus plenam beatitudinem inter illa immensa beneficia Dei nostri, vt nunquam in referenda gratiarum actione cessemus; cohæredes effecti cius, qui dicit: Venite benedicti, percipite regnum, quod vobis paratum est, ab origine mundi. Donante ipso, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. *M. f. cœlesti* *Mar. 23. 34*

FINIS.



IN-

